MASTER NEGATIVE NO.

91-80344-4

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KINDSCHER, FRANZ

TITLE:

EMENDATIONES CAESARIANAE SCRIPSIT

PLACE:

[SERVESTAE]

DATE:

[1860]

Master Negative #

91-80344-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C16
EZ61 Kindscher, Franz,
Emendationes Caesarianae scripsit Franciscus Kindscher. [Servestae, Roemer & Sitzenstock typis presserunt, 1860]
18 p. 27 cm.


On cover: Universitati litterariae Fridericiae Guilelmiae Berolinensi... gratulabundus Franciscus Kindscher...

49553


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11-26-91 INITIALS: BS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2 87C16 EZ6

UNIVERSITATI LITTERARIÆ

FRIDERICIÆ GUILELMIÆ

BEROLINENSI

SEMISÆCULARIBUS IDIBUS OCTOBRIBUS A. MDCCCLX.

PIE LÆTEQUE GRATULABUNDUS

FRANCISCUS KINDSCHER
DESSAVIENSIS
FRANCISCEI ANHALTINORUM SERVESTANI COLLEGA MUSEI GERMANICI NORIMBERGENSIS
SOCIUS SOCIETATIS LITTERARUM LUSATIÆ SUPERIORIS GORLICENSIS SODALIS

SERVESTÆ
ROEMER & SITZENSTOCK TYPIS PRESSERUNT
EXEUNTE SEPTEMBRI A. 1860.

EMENDATIONES CÆSARIANÆ

SCRIPSIT

FRANCISCUS KINDSCHER

C. Julii Caesaris de bello civili commentarii cum non nisi deterioribus codicibus servati sint, etiam nunc post egregias Nipperdei curas plurimos exhibent locos corruptos qui quo modo corrigantur non quidem est in expedito invênire. sed ea res quo difficilior est, eo vehementius nos incitat ad ponendum etiam atque etiam studium et industriam in eliciendis genuinis auctoris illius gravissimi verbis ex vitiis librorum manu scriptorum pravissimis, praesertim cum haud raro contingat, ut aliqua saltem ex parte eum laborem nobis diligenter circumspicientibus minuant certa earum viarum indicia quae sunt in emendandis his commentariis ineundae talibus indiciis qua ratione hic illic nobis videatur utendum esse, libet nunc exponere paullo explicatius.

Itaque III, 19, 3 significatio quaedam desideratur loci amplioris quo altera die ad conloquium veniendum fuerit legatis militum Pompei et Caesaris. etenim narratur esse missus a Caesare ad ripam ipsam fluminis Apsi P. Vatinius qui ea quae maxime ad pacem pertinere viderentur, ageret, multaque suppliciter locutus ut de sua atque omnium salute debebat. is silentio ab utrisque militibus auditus est. Tum haec quidem eduntur a Carolo Nipperdeio Gustavo Queckio Alberto Doberenzio Friderico Kranero: 'Responsum est ab altera parte Aulum Varronem profiteri se altera die ad colloquium venturum atque eundem visurum quemadmodum tuto legati venire et quae vellent exponere possent; certumque ei rei tempus constituitur. Quo cum esset postero die ventum, magna utrimque multitudo convenit magnaque erat expectatio eius rei atque omnium animi intenti esse ad pacem videbantur.' sed apertum est vel caecae menti in eis verbis mediis aliquas mendas latere. Atque in Parisino secundo Hauniensi primo Vindobonensi primo haec ita leguntur: 'atque una uis utrumque admodum', in Leidensi primo plerisque Oudendorpii: 'utque una uis utrumque admodum'. inde postquam cum Vossio vulgo ediderunt ut Halae Magdeburgicae: 'atque una etiam utrimque admodum', excudi iusserunt Oudendorpius Kreyssigius Heldius qui tamen quam male 'ubi' se haberet non dubitavit commemorare, assentiri dubitavit Nipperdeio: 'atque una etiam ubi utrimque admodum', Elberlingius effecit: 'atque una visurum quemadmodum', Emanuel

Hoffmann ut conveniendi et colloquendi rationem nancisceretur qua tuto legati venire et quae vellent exponere potuissent, verba censens lacunosa in hunc fere modum reliquias litterarum manu scriptarum explevit: 'atque navi esse vecturum quo admodum'. eas vero vias omnes quo minus tuto ineamus, impedimur verbis disertis: 'quo cum esset postero die ventum, magna utrimque multitudo convenit'. namque eis evidenter demonstratur locus certus superioribus verbis ab auctore denotatus isque amplus multorumque frequentiae capax. Quid multa? Scripsit Caesar: 'Responsum est ab altera parte Aulum Varronem profiteri se altera die ad conloquium venturum. Itaque una insularum quam ad mediam tuto legati venire' et quae secuntur. hanc emendationem ut tueamur quamquam satis se ipsam commendaturam speramus, tamen indicanda paucis origine corruptelae et corrigendi ratione prosequemur. illa enim quae in codicibus leguntur, depravata prodierunt LIT ex ITA, LII ex IN, LLTR ex VLAR, E ex A lineola supra alpha superducta, cumque e psilon rotundum esset sicut prior pars o micru crassior et litterae IA viderentur esse littera LI id est u, MODLIM ex MEDIAM.

Haec excipiuntur proximis verbis III, 19, 5: 'Qua ex frequentia Titus Labienus prodit, summissa oratione loqui de pace atque altercari cum Vatinio incipit' a Terpstra in hunc modum qui Hellero bene placuit apud Leutschium virum nobilem Philol. vol. XIII. pag. 379 satis commode correctis: 'Qua ex frequentia Titus Labienus prodit, sed missa oratione de pace loqui atque altercari cum Vatinio incipit.' Iste de quanam re locutus sit, reticetur miro modo. quod silentium cum valde displiceat, in his quia et res ipsa et subsequens altercandi verbum efficit, ut ieiuna loquendi voce magnopere offendamur, primum quidem pro 'loqui' quod est in libris manu scriptis, non dubitamus quin 'coqui' superductis supra litteras o et u duabus lineolis genuinum sit i. e. conqueri collato Cicerone famil. V, 2, 6 'satis habeas nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri'. deinde cum illud 'de pace' ἀπὸ κοινοῦ positum et ad orationem et ad conquerendum referatur, transpositione non opus est. tum 'summissa' quod est in codicibus, idem valet ac 'submissa' ac beta littera quae nulla alia est nisi littera P lineola transversa per imam trabem directam perducta, praepositionem quae est 'per' significat. pro Varrone enim Labieno oratio de pace a Vatinio 'permissa' est. quod denique restat 'su', id degeneravit a particula adversativa 'set'. namque u littera saepissime forma litterarum CI pingebatur facileque ideo litteris ET specie e psilu rotunda poterat substitui. ac 'set' saepius pro consueto 'sed' occurrit. Quam ob causam haec sic exaranda sunt: 'Qua ex frequentia Titus Labienus prodit, sed permissa oratione conqueri de pace atque altercari cum Vatinio incipit.'

Tetigimus prima disputatione nostra ea quae superiorem locum proxime praecedunt III, 19, 3: 'Multa suppliciter locutus est ut de sua atque omnium salute debebat'. quid tandem hoc est? Caesarem narrare se per Vatinium supplicasse Pompeianis? at videbantur haec ferri posse, dum ipse Labienus submissa oratione de pace egisse dicebatur. nunc vero cum illam removendam esse didicerimus re tum gesta, moribus illius viri, codicum indiciis permoti, illud SLIPPLICITER optimo iure transibit in SICIOPLICITER id est 'simpliciter', candido animo sinceroque ut mores Vatini et Labieni sibi opponantur.

Antecedunt eum locum haec satis mendosa III, 19, 1. 2: 'Inter bina castra Pompei atque Caesaris unum flumen tantum intererat Apsus crebraque inter se colloquia milites habebant, neque ullum interim telum per pactiones loquentium traiciebatur. Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea quae maxime ad pacem pertinere viderentur, ageret et crebro magna voce pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace [duo] legatos mittere, quod etiam fugitivis ab saltu Pyrenaeo praedonibusque licuisset, praesertim cum id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent?' in horum initio vocem TATVM lineola supra alpha superducta id est 'tantum' cum certae sibique constanti Caesaris in numerando consuetudini repugnet, a Kranero uncis recte inclusam suspicor natam esse ex 'latum'. etenim flumen quod tanto aquarum divortio illam regionem percurrebat ut amplae cuidam insulae locum daret patendi, haud dubium est quin latum fuerit dicique potuerit. huc accedit quod 'interim' ex duabus vocibus IN TERAM superducta supra rho lineola id est 'in terram' coaluisse videtur. nullum enim telum per pactionum tempus in utramque ripam binorumque castrorum loca adigebatur. tela in vigilias stationes excubias utrasque quae erant e regione adversariorum, inter paciscendum non coiciebantur. erant indutiae dum ei de pace conlocuntur quibus ut de compositione agerent, a suis utrisque mandatum erat. atque 'interim' vocem magistro debemus qui cum opinaretur illud 'per pactiones loquentium' esse idem quod 'per pactionem, in virtù dell' accordo' (sic Forcellinius interpretatur Livium VIIII, 11, 4 'recipiant arma quae per pactionem tradiderant') Caesaremque narrare cautum esse non tam a se et Pompeio quam ab oratoribus pacis componendae ne ullum inter conloquendum traiceretur telum, censuit illa voce 'interim' tempus colloquiorum denotandum fuisse. deinde non minori offensioni est, quod Vatinius dicitur iussus esse uno illo accessu dieque de compositione crebro quae essent e re, pronuntiare ulterioremque ad ripam magna voce uti. concesseris, opinor, hoc loco minime expectandam fuisse imperatam illi legato a Caesare iterationem pronuntiandi ridiculeque magnae vocis contentionem. aptissime

vero locus designari potuit ubi Vatinio pronuntiandum foret. ob eam rem puto illud ET CREBRO MAGNA CIOCE male ortum esse ex ET IPE lineola supra pi superducta PRO MAGNA CTONE lineolis supra cappa et tau superductis suspicorque scribendum esse: '*et ipse pro magna contione.*' praebent denique 'duo legatos' quidem Parisinus secundus, sed 'duos legatos' codices Oudendorpii omnes unde effingendum est: '*alios legatos*', ut legatorum nomen praedicative appositum pendeat ex notione aliorum. ad hunc enim locum emendandum certo adminiculo utimur eis verbis quae supra leguntur III, 18, 5: 'Conatus tamen nihilo minus est aliis rationibus [per colloquia] de pace agere'. sane ea quam perverse scripta extent Arnoldus Hugius apud Leutschium v. n. Philol. v. XI. p. 668 satis cognovit. sed tantum abest ut ea interpolata esse ducamus, ut si in hunc fere modum constituuntur: 'Conatus tamen nihilo minus est aliis *oratoribus* per colloquia de pace agere', ni magnopere fallor recte excipiant verborum seriem proxime praecedentem: '*Ab* iis Caesar haec *acta* cognovit qui sermoni *interfuerant*.' nam primum quidem interpunctione mutata quae verba antecedunt 'Bello perfecto' vulgo cum sequentibus 'ab iis Caesar' coniuncta potius ad orationem Pompei graviter concludendam III, 18, 4 adhibenda sunt disserentis se cupere non fieri reducem in Italiam per Caesarem pacis auctorem controversiarum compositorem, sed redire sua sponte aequis conditionibus in patriam ex suo arbitrio: 'Quid mihi, inquit, aut vita aut civitate opus est quam beneficio Caesaris habere videbor? cuius rei opinio tolli non poterit, cum in Italiam ex qua profectus sum, reductus *existimabor bello perfecto*?' non enim Caesar quem utrorumque militum commercio adiutum non quidem perfecto demum bello civili, sed iam illis conloquiorum diebus de sententia Pompei certiorem factum esse per se statuendum est, si illud a Pompeio responsum esse etiam tum ante iterandam per Vatinium pacis temptationem ignorasset, narrare potuit pergere: 'Conatus tamen nihilo minus est'. igitur Caesar etsi de eis quae Pompeius ad Vibulli sermonem responderat, iam ipsis colloquiorum diebus cognovit, tamen rem ad eam diem frustra temptatam per alios legatos ut P. Vatinium administrare perrexit denuo suscepit ad finem perducere instituit. idque ipsum est quod Hugius l. l. sentiebat et desiderabat adfirmans: 'Offenbar würde dieser nachsatz: conatus tamen nihilo minus est u. s. w. einen vordersatz voraussetzen ungefähr folgender art: „so misslang auch diese unterhandlung; nichts destoweniger" u. s. w.' deinde quod est in Parisino secundo cod. Vrs. quinque codicibus deterioris notae 'facta' pro quo Oudendorpius 'dicta' vulgavit, ut ad superiora conformetur III, 18, 3: 'Vibullius ... de mandatis Caesaris agere instituit', mutandum esse in 'acta' adfirmaverim. necessario denique cum iam oratio ex

mera res referentis indicatione in vivam scriptoris rerum gestarum narrationem sit perpolita, 'interfuerant' plusquamperfectum pro perfecto indice 'interfuerunt' ponemus.

Haec hactenas de una rerum gestarum serie unoque sententiarum nexu. transeamus ad similia accuratius pertractanda. Caesar autem I, 67. narrat cum disputaretur in consilio a Petreio atque Afranio et tempus profectionis quaereretur, plerosque censuisse ut noctu iter facerent, alios postridie mane sibi proficiscendum fore. hi enim exposuerunt 'circumfundi noctu equitatum Caesaris atque omnia loca atque itinera obsidere; nocturnaque proelia esse vitanda, quod perterritus miles in civili dissensione timori magis quam religioni consulere consuerit. at lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum militum et centurionum praesentiam afferre; quibus rebus coerceri milites et in officio contineri soleant. quare omni ratione esse interdiu perrumpendum: etsi aliquo accepto detrimento, tamen summa exercitus salva locum, quem petant, capi posse.' in his pauca foede corrupta quae gravissimae offensioni nobis sunt, correctione nostra indigent. ac primum quidem civilis illa dissensio quae ad ordines militum perturbandos animos timore adficiendos virtutem perdendam copias opprimendas maius momentum noctu, non interdiu quam alia quaevis dimicatio dicitur adferre, ferri nequit. quid enim? nonne id sanae rationi contrarium? an malumus eorum sententiam sequi qui censuerunt ceteris bellis milites difficilius perturbari ipsa intempesta nocte, minus decipi inter tenebras fallacium aurium usu, leviori terrori eis esse obscuritatem locorum, rarius hominum mentes perturbari absentia lucis quam bello quod inter cives exarserit? quid hoc errore evidentius? longe aliter haud dubie res se habet. nihil aut noctu aut interdiu in timore quidem per agmina et acies diffundendo civilis dissensio differt ab alio quoque bello. nox autem non magis hac quam illa occasione oblata omnia terribiliora facit, tandem lux expectata timorem caligine excitatum minuit. quae cum ita sint, rationi consentaneum est Caesarem scripsisse 'nocturnaque proelia esse vitanda quod perterritus miles in *communi desperatione* timori magis quam religioni' et q. s. namque cum praepositio quae est 'con', littera c superducta lineola saepius notaretur, litterae un littera u superducta lineola saepissime exararentur, 'dis' pro 'de' in compositis usitatissimum esset, praepositio quae est 'per', littera pi lineola per trabem directam perducta scriberetur, litteraque A sine trabe transversa pingi soleret ut ad similitudinem litterae N prope accederet, veri simillimum est CMVI DISSPACIONE ex more priorum medii aevi saeculorum ut decimi pro 'communi dissperacione' positum praebuisse ansam alicui ad depravanda genuina auctoris verba. deinde pro 'consulere' restituendum erit '*concedere*' quod et ad

timorem et ad religionem apte referatur. namque milites perturbati quibus timor iam iniectus est, saluti suae consulunt, vitae suae prospiciunt, non timori fovendo augendoque provident. nec fore ut religioni adiuvandae colendae confirmandae magis consulant speratur, sed ut in observando iure iurando tuendo sacramento quo obligati atque obstricti sunt, praeceptis fidei legibus officii atque honoris obtemperent atque obsequantur. tum ea perverse exarantur quae de luce militum virtutis fautrice ex codicibus maculis vehementer foedatis vix et ne vix quidem oculis perlustrata proferuntur. quodsi scriptum esset 'luce' et q. s., aliquantula certe intellegendi ratio posset ex eis verbis extorqueri: interdiu pudore ante omnium oculos obversato et ducum praesentia multum momenti afferri militibus gloriae cupidis ad laudem consequendam. at etiam tum illud 'per se' putidissimum esset propter proximos omnium oculos. quid igitur, si 'posse' scriberetur pro 'per se'? Non, inquit, prodest. alia relinqueretur difficultas eademque haud minima existimaretur. nempe in his ad noctem et lucem diversissima tempora de quibus modo agitur, praesentia ducum res tertia adiungeretur. id vero tertium adnexum ex obscuris corruptelarum paludibus surrexisse sequentia luculentissime docent: omni ratione interdiu esse perrumpendum. ex quibus sole clarius apparet non disputatum esse antecedentibus enuntiatis nisi de una et altera, nec tamen de tertia re quae parvum pondus vel multum momenti adferret ad virtutem militum promendam. 'multum' enim genere neutro se nobis offert atque ineptum est de multo pudore cogitare. quam ob rem praesentia ducum cum multo facilius dignoscatur melius conspiciatur magis persentiatur interdiu quam noctu, ab auctore commemorata erit ut eam induxerit rem inter alia optimarum artium effectricem, condicionem militum virtutem accendentem, statum ad res fortiter gerendas praeclaraque facinora eos inflammantem. igitur quicumque sana mente utitur facile fidem nobis habebit adfirmantibus 'lucem .... multum etiam tribunorum militum et centurionum praesentia adferre' nulla omnino litterarum mutatione sola reiecta lineola quae casum accusativum indicaverat, edendum esse. praeterea interdiu milites quod in conspectu omnium res geritur neque turpiter factum celari potest, ut timoris suspicionem vitent, pudore maximopere adducuntur. timore ignominiae interdiu plurimum ad virtutem excitantur. itaque scribendum est: 'at lucem multum per se pudore .... adferre.' namque multus pudor luce afferri dictus esse non potuit. ut enim dici possit umquam subito pudor ut res afferri, sed quod minime in omnes omnino milites aut fortes aut ignavos aut segnes aut strenuos quovis tempore se gerentes caderet, prorsus tamen nescio quid sibi velit multus hic pudor subito cum sole ortus interdiu tuto expectandus. sed restat alius adhuc sententiarum nexus

examinandus diligenterque pertractandus. nam quid denique de omnium oculis statuemus? alii eam vocem dativo casu, alii ablativo recte intellegi opinantur. sibi autem videntur intellegere! atque illi quidem interdiu pudorem in oculos omnium inferri statuentes nos conmonefaciunt illius legati qui conventu quodam nuper peracto ni labor memoria, sibi uni videbat erubescere prae pudore tunicam oculorum corneam quae ceteris mortalibus quamquam pudicis alba etiam inter pudendum remanere solet. nihil nisi risum nobis movent. sed hi pro omnium oculis a Caesare expectare debebant dictum fore 'omnium conspectum' in quo res gereretur. porro cum infra mentio fiat ducum procul confirmantium vel ex propiori loco adaugentium laudis cupiditatem, supra illud 'per se' praecedat quod clare indicat res in ipsorum militum virtute animo pectore positas, iam alia ratio quaerenda nobis est quam amplectamur atque ad hunc diem inita est. atque ut verum inveniamus, antea indagemus quibusnam litterarum formis scribi potuerit illud 'omnium oculis'. Ecce, his: OMICIOCCILIS lineola supra litteras ICI superducta. ad eas autem formas degeneraverunt genuinae OFFICIO CIDILIS lineola supra lambda superducta. itaque cum hoc 'milis' sit compendium genetivi 'militis', Caesari restituendum est: 'at lucem multum per se pudore et officio militis, multum etiam tribunorum militum et centurionum praesentia adferre'. haec omnia rectissime se habere proxima docent quibus eadem fere sententia iteratur eis rebus coerceri milites et in officio contineri solere. secuntur denique repugnantes illi Caesarianae dicendi consuetudini ablativi absoluti cum particula 'etsi aliquo accepto detrimento' qui cum ex compendio ALIQD lineola supra delta superducta ACCIPIAT producta trabe litterae tau transversa videatur natum esse id quod legitur in Parisino secundo 'aliquando accepta' lineola supra ultimo alpha flexa, in Leidensi primo 'aliquanto accepto', haud dubie ab his commentariis removendi sunt. itaque si exarabimus 'etsi aliquod accipiatur detrimentum' scriptori elegantissimo satisfecisse nobis videbimur.

Eo consilio de quo iam disseruimus, prima luce postridie constituerunt proficisci. sed temporis constituti significatio frustra requiritur I, 69, 1 ubi plerumque editur: 'Ac primo Afraniani milites visendi causa laeti ex castris procurrebant contumeliosisque vocibus prosequebantur: necessarii victus inopia coactos fugere atque ad Ilerdam reverti'. in his militum nomine facillime carebimus eritque pro eo MILITE[s] scribendum MANE. huc accedit alterum 'prosequebantur' quod corrigendum est in NROS lineola supra rho superducta SEQUEBANTVR id est nostros sequebantur.

Quoniam semel huc deflexim us, pergamus ad similia alia cum vicina tum

remotiora. primum I, 71. Caesar narrat legatos, centuriones tribunosque militum ad se concurrisse: 'ne dubitaret proelium committere. omnium esse militum paratissimos animos. Afranianos contra multis rebus sui timoris signa misisse.' in hoc 'misisse' superstitiose edito peccatum est. namque pro littera CIO id est my potius exarari debebant litterae E rotunda trabis directae forma et D ut coalesceret 'edidisse'.

Tum II, 14. ubi sermo iniectus est de rebus Massiliensium, foeda macula eluenda erit. ibi haec leguntur: 'Ita multorum mensium labor hostium perfidia et vi tempestatis puncto temporis interiit'. quibus multis mensibus offendimur dum rationem inimus temporum conficiendam. multi autem redigendi ad duos sunt ut haec sic proferantur: 'Itaque duorum mensium labor' et q. s. particula enim 'que' cum ex more consueto Q; compendio notaretur coniuncta cum delta prave transiit in my eaque causa corruptelae effectum est ut iniuria lambda et tau litterae protinus insererentur.

Porro II, 5 haec de Massilia memoriae produntur in Parisino secundo: 'Facile erat ex castris C. Treboni atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem ut omnis iuventus quae in oppido remanserat omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus publicis custodiisque aut muro ad coelum tenderent aut templa deorum inmortalium adirent et ante simulacra proiecti victoriam ab dis exposcerent'. unde cum pessime omittatur 'manus' inter 'coelum' et 'tenderent', Nipperdeius quaestionum Caesarianarum p. 147. collatis eis quae Oudendorpius notavit, haec sic constituenda arbitratus est: 'ut omnis iuventus quae custodiis in oppido remanserat omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus aut supplicis ex muro ad caelum manus tenderent aut templa deorum immortalium adirent et ante simulacra proiecti uictoriam ab diis exposcerent'. ea emendandi ratio cum iusto intricatior esse videatur, Emanuel Hoffmann hanc solam corruptionis causam fuisse statuit quod verba 'publicis custodiis' casu quodam mota sint loco. quapropter scripsit: 'ut omnis iuventus quae publicis custodiis in oppido remanserat, omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus aut de muro ad coelum manus tenderent aut templa deorum immortalium adirent' et q. s. Kranerus denique perverse retineri librorum manu scriptorum publicas custodias in novissima horum de bello civili commentariorum editione iure statuens meliorem sibi visus est amplecti rationem corrigendi cum in hunc modum verba mutanda esse censeret: 'ut omnis iuventus quae in oppido excubiis custodiisque remanserat, omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus aut ex muro ad caelum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent' et q. s.

quam tamen vim vehementissimam cum tribus his viris doctissimis in eluendis maculis motis suo loco verbis adhibere facile supersedebimus. atque in his enuntiatis primum quidem illud SCIPIORIS lineola per pi perducta male ortum videtur ex eo quod usus requirit SENIORIS e psilo rotundo. deinde cum quae ex editiori loco ipsam urbem inspicientibus facillime in conspectum veniebant, ea auctor noster commemorasse videatur, fatale illud CLISTODIISQVE AVT MCIRO censebimus nihil aliud esse nisi genuinum CIIIS LOCISQVE AVT IN FORO. itaque scribendum est: 'Facile erat ex castris C. Treboni atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem ut omnis iuventus quae in oppido remanserat omnesque senioris aetatis cum liberis atque uxoribus publicis viis locisque aut in foro ad caelum manus tenderent aut templa deorum inmortalium adirent et ante simulacra proiecti victoriam ab dis exposcerent'.

In transcursu denique cum iam casu fortuito Massiliam delati simus, II, 2 legamus ubi haec oculis offeruntur: 'Itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebantur, atque hac agger inter manus proferebatur' quae cum illud 'hac' plane displiceat et otiose commemoretur illa manuum administratio, sic scribenda esse videntur simplici ratione: 'Itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebatur. Ab hac aggeris terminus proferebatur'.

Quae ibidem paullo post II, 2, 6 eduntur: 'Crebrae etiam per Albicos eruptiones fiebant ex oppido ignesque aggeri et turribus inferebantur; quae facile nostri milites repellebant, magnisque ultro illatis detrimentis eos, qui eruptionem fecerant, in oppidum reiciebant' ea cum discretis enuntiatis iniceretur sermo de eruptionibus et ignibus, coniectura assequimur potius sic exaranda esse: 'Crebrae etiam per Albicos eruptiones fiebant ex oppido ignesque aggeri et turribus inferebantur, quos facile nostri milites repellebant, magnisque ultro illatis detrimentis eos qui eruptionem fecerant, in oppidum reiciebant'.

Haud dissimilia eis quae modo experti sumus, supra inveniuntur in rebus Hispaniensibus I, 52, 4: 'Caesar iis civitatibus quae ad eius amicitiam accesserant, quod minor erat frumenti copia, pecus imperabat; calones ad longinquiores civitates dimittebat; ipse praesentem inopiam quibus poterat subsidiis tutabatur.' eam tutandi vocem ut tutarentur miros in errores ratiocinandi inciderunt editores novissimi Queckius: 'Nach der gewöhnlichen Construction würde es heiszen: ab inopia se tutabatur. — Tutari aliquid muss hier heiszen: etwas sicher stellen, so dass es weder Schaden leiden, noch Schaden anrichten kann, also Vorsorge treffen, abwehren; ähnlich oben defendere injurias I, 7, 7. Zumpt §. 469.' sed qui l. l. de defendendo disserit, Doberenzius: 'tutari: ein Uebel bewahren d. h. es abwehren,

ihm abhelfen', Kranerus: 'tutabatur, wie c. 7, 7: iniurias defendere gebraucht = abwehren, für das gewöhnlichere suos tutabatur ab inopia, in Prosa ohne Beispiel'. id cum interpretari non sit voxque tutandi apud Caesarem qui neque desipiebat et tamquam scopulum sic fugiebat inauditum atque insolens verbum, ferri nequeat, certum putamus ex TCITABAT lineola ex trabe litterae tau transversa producta recte effici LELIABAT rotundo e psilo id est levabat.

Quorum in vicinia I, 51, 6 haec eduntur: 'Hoc pugnae tempus magnum attulit nostris ad salutem momentum; nacti enim spatium se in loca superiora receperunt.' eorum initium sic potius scribi debebat: 'Hoc pugna eventu magnum' et q. s.

Sane non omnibus locis litterae AE plene scribebantur a librariis quod tamen hoc loco factum esse suspicor ut aliis multis, sed saepissime denotabantur e psilo simplici vel imo unco adiecto. quarum rationum utraque videtur causa fuisse foedandi mendis loci illius celebris I, 48, 5: 'Tempus erat autem difficillimum, quo neque frumenta in hibernis erant, neque multum a maturitate aberant'. quae cum temporis difficultatem vix in eo cerneres quod frumenta non multum a maturitate aberant, contrarium haud dubie dicendum esset, Kranerus priori editione sic sanabat: 'quo neque frumenta in hibernis erant segetesque multum a maturitate aberant', posteriori nihil nisi hibernorum vocem mutandam censebat: 'quo neque frumenta in horreis erant neque multum a maturitate aberant'. cui coniecturae utrique cum nullam ex litterarum similitudine auctoritatem accedere Hoffmannus intellegeret aliaque obstarent quominus viro doctissimo adsentiremur, editor Vindobonensis scripsit: 'quo neque frumenta ex hibernis erant, novaque multum a maturitate aberant' ac frumenta ex hibernis ea dici putavit quae Caesariani ex Gallicis hibernis in Hispaniam secum avexissent. Verum falsus est Hoffmannus. frumenta enim ea sunt quae in agris erant inter flumina duo Sicorim et Cingam. alia omnia Caesar hoc loco non significavit. itaque cum praeterea H. A. Kochius apud Iulium Muetzellium de rebus gymnasiorum vol. XIIII p. 349 a vero aberrasse videatur commendans: 'quo frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant', ego conicio recte scribi: 'Tempus erat autem difficillimum, quom quae frumenta in Hiberis erant, aeque multum a maturitate aberant' ut antiquissimae Hiberorum qui ex Vergilio notissimi sunt georg. III, 408, sedes inter Hiberum flumen et montes Pyrenaeos sitae commemorentur.

Earum rerum frumentariarum memoribus venit nobis in mentem illius de Graeca militia loci III, 48, 1: 'Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui fuerant in vallibus' vel 'fuerant cum Valerio' vel 'fuerant ... valeribus' urbe quadam vel

'fuerant cum pabulatoribus' vel 'fuerant versati in oleribus' vel 'studebant oleribus' quae olera subridens ascripsi vel 'fuerant valetudinarii ex vulneribus' vel 'fuerant vacui ab operibus' cum Kochio qui scribere debebat 'ab opere'. Eos milites, Nipperdeius inquit quaest. Caes. p. 172, hanc radicem repperisse apparet qui Pompeium munitionibus obsidebant. atque id quod est in optimis codicibus 'fuerant valeribus' cum litteris maioribus sic pingi potuerit FVERANLI lineola ex capitulo litterae ny producta ut ny et tau litteras significet ALERIBVS rotundo e psilo nihil aliud est, opinor, nisi FVERANTI NOPIBVS lineola per pi perducta. Igitur legendum est: 'Est etiam genus radicis inventum ab iis qui fuerant in operibus.'

Atque dum illae res in Graecia gestae animo nostro obversantur, meminimus nos legere III, 6, 3 narratum esse quam ad litoris Graeci partem Caesar Nonis Ianuariis adpelleret: 'Postridie terram attigit Germiniorum. Saxa inter et alia loca periculosa quietam nactus stationem et portus omnes timens, quod teneri ab adversariis arbitrabantur, ad eum locum, qui appellabatur Palaeste, omnibus navibus ad unam incolumibus milites exposuit'. in his primum quidem illi Germinii multum vexarunt interpretes cum philologos tum geographos. ex quibus Henricus Kiepertus vir de litteris elegantioribus optime meritus notissimo illo eius quod veri simile esset in his rebus sensu fausto eos homines dixit Chimaerinos, Hoffmannus ut saepius sic hoc loco sagacior in indagando errore quam in inveniendo vero felicior montes Ceraunios commendat quod ad 'saxa' non sit additum quo aliis locis periculosis iure opponantur. quapropter scripsit: 'Postridie terram attigit. Inter Cerauniorum saxa et alia loca periculosa quietam nactus stationem' et q. s. sed nomine fallitur uterque vir doctissimus hic gravissime, ille levissime. is enim qui certam emendandi rationem cupit amplecti, secum reputat ex illo ATTIGIT GERCIOINIORVCIO nihil aliud recte elici nisi ATTIGT omisso ut fere fit altero iota ITER lineola supra iota superducta ChIMERIOR minori ha litterae forma pro maiori inter cappa et iota interiecta ut adsolet, rotundo eta, posteriori rho ex o mega pendente ut sit pro 'orum'. quid igitur? scripsit Caesar: 'Postridie terram attigit. Inter Chimaeriorum saxa et alia loca periculosa quietam nactus stationem' et q. s. deinde 'arbitrabatur' una lineola supra alpha altero ex codicibus reiecta legemus ut Nipperdeius iam debebat qui timentes in timentem rectissime mutaverat.

Possumus in hoc argumento expatiari longissime. namque plurimi quidem praeter hos locos laudatos correctione egent ut legendum videtur I, 3, 3 'Completur uberius comitium tribuni plebis in curia violantur. Omnes' I, 5, 2. 3. 'sed de sua salute septimo die cogitare coguntur quod illi

turbulentissimi superioribus temporibus tribuni plebis toto denique emenso spatio suarum actionum in trepida re adtinere censuerant. Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatus consultum, quo, nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium soluta malorum audacia numquam ante descensum est: dent operam consules, praetores, tribuni plebis quique-pro consulibus sint ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat.' I, 6, 5. 6. 7. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Philippus et Marcellinus collega 'privato consilio praetereuntur, neque eorum sortes deiciuntur. In reliquas provincias praetores mittuntur. Neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique votis nuncupatis exeunt. Consules, quod ante id tempus accidit numquam, clam ex urbe proficiscuntur. relicta remanent in urbe et capite Italiae privati contra omnia vetustatis exempla.' I, 11, 2 'polliceri se in provinciam iturum neque, ante quem diem iturus sit, definire, ut si pacto convulso non profectus esset, nulla tamen mendacii religione obstrictus videretur.' I, 14, 2. 3. 'Hunc Marcellus collega et plerique magistratus consecuti sunt Capuae. Pompeius prior effusoque cursu profectus iter ad legiones habebat quas a Caesare acceptas in Apulia hibernorum causa disposuerat.' I, 14, 5 'quos postea monitus ab suis, quod ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familias conventus Capuae custodiae causa distribuit.' I, 22, 5 'ut tribunos plebis nefarie ex civitate expulsos in suam dignitatem restitueret.' I, 23, 2 'Erant quinque ordinis senatorii, L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Caecilius Denter, Sex. Quintilius Varus quaestor, L. Rubrius.' I, 24, 4. 5. 'aliae in equites incidunt. Deducitur ad eum deprensus ex itinere N. Magius Cremonensis praefectus fabrum Cn. Pompei. Quem Caesar ad eum praemittit cum mandatis.' I, 26, 2 'Ad quae haec Caesar pariter administrabat ut condiciones pacis dimittendas non existimaret. at enim magnopere admirabatur Magium quem ad Pompeium cum mandatis miserat, ad se non remitti. Atque ea res' I, 39, 2 'Caesar legiones sex in Hispaniam praemiserat. Adduxit auxilia peditum quinque milia, equitum tria milia quae omnibus superioribus bellis habuerat, et parem ex Gallia numerum quem imperaverat nominatim ex omnibus civitatibus nobilissimo quoque evocato. Huc optimi generis hominum' cett. I, 41, 1. 'quos sibi praesidio retinuerat, in castra pervenit.' I, 48, 3 'Castra enim, ut supra demonstratum est, cum essent inter flumina duo, Sicorim et Cingam, spatio milium xxx, dum neutrum horum transiri poterat, necessario omnes his angustiis continebantur. I, 58, 1. 'Ipsi Massilienses et celeritate navium et scientia gubernatorum confisi

nostros eludebant impetusque eorum effugiebant et quoad' et q. s. I, 60, 1 'Interim Oscenses et Calagurritani qui erant tum Oscensibus contributi' I, 62, 1. 2. 'Qua re per exploratores cognita summo labore militum Caesar continuato diem noctemque opere in flumine avertendo huc iam deduxerat rem ut equites etsi difficulter atque aegre fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire, pedites vero qui tantum modo humeris ac summo pectore extarent, cum altitudine aquae tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur.' I, 64, 3 'Totis vero castris milites circulari et dolere hostem ex manibus dimitti bellumque ea re longius duci.' I, 64, 8 'Ac tantum fuit in militibus studii ut milium sex admodum circuitu magnaque fluminis mora interposita' I, 66, 1 'Media circiter nocte iis qui aquandi causa longius a castris processerant.' I, 70, 4 'Ex eo loco quattuor cetratorum cohortis in montem, qui erat in conspectu omnium et excelsissimus, mittit.' I, 75, 1. 'Quibus rebus nuntiatis Afranius ab instituto opere discedit' I, 85, 8 'in se novi generis imperia constitui, ut idem ad portas urbis praesideat rebus et duas bellicosissimas provincias absens tot annis obtineat' I, 87, 1 'Addit etiam, ut quod quisque in bello amiserit, quae sint penes milites suos, iis qui amiserant, restituantur.' II, 11, 3 'hostes ex muro ac turribus summoventur: hoc datur libera muri conscendendi facultas' II, 12, 3 'Nullam exorare moram posse quo minus cum venisset, si imperata non facerent ad nutum, e vestigio diriperentur.' II, 26, 4 'tota auxilia regis impedita ac perturbata quod nullo ordine et imperio sine timore iter fecerant' II, 29, 2. 3. 4. 'plures auctores eius rei videbantur. Terrebant civile bellum, genus hominum cui liceret libere facere et sequi quod vellet, legiones eae quae paullo ante apud adversarios fuerant (nactae enim Caesaris beneficia animum mutaverant), consuetudo dona offerentium, municipia etiam adversis partibus coniuncta (namque alienatio ex Marsis Pelignisque imminebat ut qui superiore nocte deficere coepissent). Talia querebantur in contuberniis comites militesque. Nonnulli graviora proferentium sermones multa cum cura a Curione accipiebantur, nonnulli etiam ab iis qui diligentiores videri volebant, fingi ei videbantur.' II, 31, 7. 'Namque huiusmodi res aut pudore aut metu tolluntur quibus rebus lux maxime adversaria est.' III, 10, 10. 'Haec quo facilius Pompeio probari possent, omnes suas utrumque copias dimissurum.' III, 12, 1. 'Cuius adventu audito L. Staberius qui urbi praeerat' III, 16, 1 'rem frumentariam expediendam qua angusta utebatur.' sed cum in eo sit ut cum viris doctis omnibus qui hoc anno gravi pluvioque valetudine non temptantur, Brunonis in vicum ad conventum philologorum Germaniae

peragendum hoc ipso die proficiscamur, substitimus in hac emendationum mantissa universitati litterariae Berolinensi Germanarum principi ea qua par est observantia submississime offerenda. quae quantula cumque est velim existat documentum animi gratissimi quo memoriam virorum amplissimorum Lachmanni Panofkae Ritteri Schellingii Zumptii (havete, piae animae!) Bekkeri BOECKHII Gerhardi Hauptii Rankii Raumeri Trendelenburgii Gepperti Micheleti Benarii praeceptorum nostrorum illustrissimorum amicorumque suavissimorum Goschei Riedelii sanctissimam summe colimus enixe fovemus ad extremam lucem tenebimus.

Dabam Servestae Anhaltinorum a. d. VII. Kal. Oct. a. MDCCCLX.